


26321
hist. E. 3 f. 1721

327342

Trelaeus
(Nicolas (Clément)

26321
hist. E. 3 fr. 1721

Baz

327342

Trelaeus

(Nicolas Clément).

Collegii Lugd. SS Trinit Societ. Jesu Catal. Inscript


AVSTRASIAE REGES, ET LOTHARINGIAE DVCES.


Réserve 327342

Quotquot tanquam Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος *excelluerunt,*

Nativis Iconibus, & Historicis Epigrammatis ad vivum expressi.

Authore
NICOLAO CLEMENTE TRELÆO
Mozellano.











COLONIÆ,
M DC XIX.



OPTIMO, ET SERENISS. PRINCIPI D. CAROLO III. CALABriæ, Lotharingiæ, Barri, Gueldriæque Duci Marcusano, Musipontis Marchioni, Provinciæ Vandalimontis, Albimontis, Bitorum, Zutvaniæ &c. Comiti, Principi & Domino suo clementissimo.

Carole Dardania qui tangis origine numen,
Dis genite, & geniture deos, patris incrementum,
Accipe parva licet magno vigilata labore
Munera, magnorũ monumenta perennia patrum.
Indigesta prius gestorum mole jacebant,
Sed tibi confeci certo tuus ordine Clemens.
Acceptus tibi sim vates operosus avorum,
Hospitio dignare patres, patrumq; ministrum.
Quod colis hospitium struxere sibique suisq;.



PRÆCLARISSIMA TUORUM Majorum virtus, Serenissime Dux, ita copiosum Oratoribus & Poëtis scribendi argumentum fecit, ut multa superiores de illis dixerint, & posteris ad ingenij vires explicandas plura reliquerint. Quàm insignes in pace, quàm in bellis suscipiendis acres & magnanimi, quàm in repellendis injuriis strenui, quàm deniq; in asserenda ab hostium manu patria fortes fuerint, sancitæ leges, domitæ gentes, fusi hostes, fer-


BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1896

vati in hunc diem cives tui testantur & prędicant, De tantorum heroum facinoribus sigillatim dicere instituti mei nō est, cùm temporis omne spatium pulcherrimis illorum factis parem orationem hominibus non suppeditet. Datâ equidem operâ dispersas & diffusas historias his brevibus tablinis in compendium contraxi, ut paucis ob oculos gestorum imaginem reponerem, T.S. mandato satisfacerem, pietatem, Dum pius est patriæ facta referre labor, in patriam declararem, & memoriæ consulerem. Hoc enim consilio Philosophorum Principem imitatus sum, qui pepli nomine cōmentarium edidit, quo genealogias Homericorum Ducum tradidit, & in tres Epigrammata simplici stylo conscripsit, atque brevissima tela multiplex Homericæ poëseos peplum contexuit. Celeberrimos insuper Poëtas si non adsecutus, sequendos mihi proposui, Callimachum, qui de urbium & gentium originibus librum reliquit, Menandrum Ephesium, Iosephum historicum antiquissimum, qui Regum singulorum res gestas perquàm compendiosè apud Græcos barbarosque memoriæ mandavit, Ausonium, Mycillum, Vrsinum, Sabinum, qui Cæsarum gesta Epigrammatis adnotarunt, Bocerum Daniæ Regum vatem & præconem, Iacob. Marchātium Flandriæ Comitum scriptorem, nec nō Hierovvolfium Imperatoriæ majestatis in Austriaca gente defensorem & decantatorem. Monitores etiam qui spontè currenti calcar addiderunt, habui L. Masurium Nervium, Sambucum, Lætum amicos doctissimos & colendissimos, Melissum, Iac. Boissardum, ac urbium Bohemicarum cultorem & cantorem Davi-

dem

dem Crinitum amicos integerrimos, qui me verbis & literis ad hoc opusculum perficiendum & promulgandum adegerunt. Quid in hoc præstiterim, posteritas, siquid inest genij & ingenij, noverit. Tuam verò Serenitatem opellæ meæ æquam æstimatricem spero & expecto. Eam verò diutissimè valere precor. Vizelisiæ Vandalimontanæ tuæ II. Non. sextil. cIↄ Iↄ LXXIII.


T. S.

Addictissimus

Clientulus

N. Clemens Trelæus
Mozellanus.





AVGVSTISSIMÆ, SERENISSIMORVM LOTHARINGIAE Ducum, Regiæ genti.

CURA genusque Deum, seriedomus inclyta Regum,
Quæ potes in Teucros condere nomen avos,
Fortunata domus spatiosum nota per orbem,
Laudibus & titulis maxima fulta tuis,
Clara Palæstinis semperque imitanda triumphis,
Quæ solio Teutas Austrasiana Iovem,
En sint grata, Ducis Caroli mea carmina jussu,
Pro patriæ & gentis nomine facta tuæ.
Sum, fateor, gestis atavorum conditor impar,
Nec tantos possum ducere in arma Duces.
Fas sed amare focos, patriamque attollere cœlis,
Quod potui, volui, sit voluisse fatis.

F. D. E.

N. Clemens Trelaus Mozellanus.




CANDIDO LECTORI S.
FRANCISCVS GVIBAVDETVS DIVIONENSIS.

Jam prodeunt in lucem, Candide Lector, Austrasici Principes, ab obscuris umbris educti, & à Nic. Clemente, Viro Doctissimo repositi. Ex cujus Epigrammatum perquàm elegantissimorum & cultissimorum lectione miram voluptatem, utilitatemque percipere poteris. Illa verò desolata parentis festina nece ab omni spe visendæ lucis derelicta videbantur, nisi verè nobilis Blondefontanus, qui incredibili scientiarum, rerumque præclarissimarum jam inde ab adolescentia flagravit desiderio, repentè exortus fuisset, qui patriæ, qua nihil charius, pietate, justo in justum legitimumque Principem amore, atque non obscurâ in literatos benevolentiâ motus, perquirendos ipsius Clementis Versus, magno precio comparandos: deinde excudendos suis sumptibus curavit. Ego verò ipsa Epigrammata diligentissimè recognovi, paucissima in his commutavi, ejus rogatu in patriam linguam transtuli, quod Latinè contractius & obscurius, Gallica mea interpretatione fusius & planius sum elocutus, ne hæc studiosè perlegendo animus tuus in medio cursu hæreret, & ancipiti cogitandi curâ distraheretur. In Carolo autem III. qui nunc hodieque Lotharingiæ habenas molitur, tui erit prudentissimi judicii animadvertere, quo

quo tempore scripserit Clemens. Nam cùm invida sit, teste Lucano, seclorum series, summisq; negatum stare diu, tandem

Rupta quies populi, stratisq; excita juventus
Diripuit sacris affixa penatibus arma,
Quæ pax longa dabat.

Illius autem Principis res gestas, ad quarum tamen laudes latissimus patebat campus, persequi instituti nostri non fuit. Cæterùm pro tua humanitate laborem nostrum qualemcumque, & Gallicam translationem, quam à Versibus Latinis sejungere, atque segregare placuit, non aspernabere. Vale.



Ad Lectorem.

ENTHEA *Dædaleos mirata Thalia labores,*
Composuit variis rarum Epigramma modis.
Jucundo Austrasiæ demulcens carmine Reges,
Cantavit veterum fortia facta Ducum.
Ergo oculos, auresq; tuas pictura, melosq;
Sublimis pascant pabula grata animi.
Otia, & alternos post compita trita recessus
Quærit. Mænaliis improba Musa jugis.

I. Grasserus, Civis Romanus.



THEODORICVS

CHLVDVICI AVT ILVDVICI Primi Galliarum Monarchæ natu maior Filius.



AVstrasiæ gentis Regesq; ducesq; reducam,
Prælia, virtutes, gesta, trophæa, vices:
Si iũcto venias Clario, Dux Carole, Phœbo,
Nec tibi sint laudes tædia fortè tuæ.
Clementi ergò faue, Dux clementissime, vati,
Præuius immenso, Dux, rege vela salo.
Verax vera sequar, repetens primordia rerum,
Stirps vt cœpta deis, vt stetit aucta deis.



Ergo faue, dubiis vento ne librer in vndis,
Da patrio patriis regibus orbe locum.
Fluctibus ereptus tibi me, tabulasq; dicabo,
Pectore concipiens in tua vota preces.
Funereos postquam Chludouico soluit honores,
Et fecit proles vltima iura patri,
Hæres Imperium Franci sortita regendum,
Diuisi tenuit Gallica sceptra soli.
Austrasiam petiit qui robore maior & annis,
Et voluit Metis constituisse larem.
Austrasiam dixêre patres, quæ proxima Rheno
Pinguia Teutonicis iugera miscet agris.
Quæ populos vario discrimine vestis & oris
Francouogesitios vna trilinguis habet.
Omnia cui patuli cedunt miracula mundi,
Cui natura dedit quicquid vbique fuit,
Est ea temperie cœli gratissima tellus,
Quam Zephyris tentat mollibus aura leuis.
Pleno musta lacu. seu frugum præbet aceruos,
Turgida palmitibus, prodiga graminibus.
Illa Mozellæ, Araris, Matronæ, Saræq;, Mosæq;
In lato condit murmura rauca sinu.
Et liquidâ fornace salem durescere cogit,
Follibus & fingit dædala terra vitrum.
Eruta diuersis referatq; metalla fodinis,
Aurum atque argẽtum, cæruleum & Chalybem.
Atque vomit tepidas arcano sulphure thermas,
Et geminas, vogesi munera sacra, legit.
Non nemus arboribus densum, non stagna, lacusq;,
Non virides lauri, cultaq; malus abest.
Sparsa iacent temerè sua quæq; sub arbore poma,
Omnia cuique suas dant sua rura dapes.

Adde

REX AVSTRASIAE.

Adde tot egregias vrbes, tot templa, tot aras,
Queis tangit ſummos vertice ſumma deos.
Sed quid plura? potens armis atq; vbere glebæ eſt,
Regibus & Ducibus regia clara viris.
Maximus Auſtraſiæ quibus ille propaginis author
Rex Theodoricus remq; decuſq; dedit.
Vindice qui dextrâ pacauit fortiter orbem,
Et ſceptro induxit ſceptra ſubacta nouo.
Aruernos domuit, Bacenenſes atque Rhutenos,
Et patrio fratres expulit imperio.
Ludere Apollinea doctus teſtudine carmen,
Phœbæum Auſtraſio fouit in orbe chorum.
Inde piam gelidâ mutauit morte ſenectam,
Et petiit ſummi regia tecta Dei.

Theodoricus Cloduei primi Galliæ regis Chriſtiani filius, duxit Euſtheram Alarici Gothorum regis filiam, ex qua ſuſcepit Clothildem, quæ Vtiloni Antuerpiæ Marchioni nupſit, & Theodobertum. Regnauit 23. annis. Obiit anno Domini 537.



THEODOBERTVS.

QVI POTENTISSIMVS COGNOMINE, THEODORICI Filius.



PAce verendus erat natus,belloq; tremẽdus,
Qui tenuit chari ſceptra gerenda patris,
Nexilibus clarus gemmis, auroq; coruſcus,
Ingenio placidus,fronte,oculiſq; minax.
Qui lucos penetrans ſignatas condidit aras,
Et foueis Mauri fana colenda dedit.
Marte paludoſos docuit ſeruire Sicambros,
Et tulit è Dano iuſta trophæa duce.

REX AVSTRASIAE.

Inde laceſſitus gladio domitore coëgit
Rex patruos patriæ linquere ſceptra nepos.
Trinacris Aethnæis minitata fragoribus ignes,
Atq; Charybdæo vortice naufragium,
Aequoreo portus ſuétum inſignire triumpho
Non regni dominum terruit Auſtraſici.
Cæſorum aggeſtos qui conculcauit aceruos,
Oſſaque per tinctas preſſit humata vias.
Illaturus erat multis quoque bella Tyrannis
Rex Theodobertus, mors inopina vetat.

Theodobertus Theodorici filius duxit vxorem Vuiſegardam Gaſtonis ſeu Vacchonis Longobardorum regis filiam, ex qua Theobaldum ſuſcepit. Deinde repudiata Vuiſegarda, Dantheram Romanam Biterræ dominam. Regnauit 14. annis, aut 13. Obiit anno Domini 550.

THEOBALDVS

THEODOBERTI FILIVS.



NOn patriâ Theodobaldus virtute receſſit,
Et ferus & clemẽs horror & orbis amor.
Martia qui geſſit pro gentis bella ſalute,
Pro patriâ galeam ſuſtinuitq; comâ.
Auſtraſiæ iuuenes collegit robora pubis,
Iuuit & iuſûbres viribus ipſe ſuis.
Auſtraſicis vbi Gothuni cecidére cateruis,
Arma quibus fuerant penè tremenda ſono,

Hunc

REX AVSTRASIAE.

Hunc ſuetum populos regem frenare ſuperbos
Promerita ad ſummas gloria vexit opes.
Fœlix ſi natis coniux Vvaldratha beaſſet!
Fœlix ni ſterilis cognitus eſſet hymen!
Ante diem patruo patriæ commiſit habenas,
Auſtraſij certo ne ſine rege forent.

Theobaldus vxorem habuit Vvaldratham Vacchonis minorem natu filiam ſterilem. Regnauit 6. annis. Obiit anno 556. Cui ſucceſſit Clotharius aui Theodorici frater, ex Teſtamento Auſtraſiæ hæres inſtitutus.

CLOTHARRVS

THEOBALDI PATRVVS MAGNVS, ET CHLVDOVICI primi Filius.



En Loquar an sileam natorum sanguine patrē
Infœlix monstrum commaculasse manus?
Chlutharrus cū dis sūmi cōtēptor olympi,
Francorumq; pudor prætereundus erat,
Prætereundus erat, nil fecit carmine dignum,
Qui potuit generis cæde madere sui.
Transfixit pueros Chlutharrus fuste nepotes,
Cumq; nuru natos ignibus exposuit.

REX AVSTRASIAE.

Parcere debuerat patris indulgentia victrix,
Debuerat sobolis flectere imago patrem.
Sustulit ah ferus hæc iusti commercia belli!
O genitor vitæ caussa, capútque necis!
Sanguine fœdauit patriam,mortemq; minatus
Et scelus & sceleris damna suprema dedit.
Iste luit pœnas vltricibus impius vmbris,
Et subitâ periit,quâ nece dignus erat.

Clotharrus vxorem habuit Iugundam, ex qua nati sunt Gontherius,Childericus,Gontramus,Sigibertus,Aribertus, qui & Cherebertus,Clodomira. Deinde Arregundam, ex qua Chilpericus. Ex Runigsena editus est Cranus Ex Caussona Blitildis. Duxit præterea Radegundam,Bettheri Thuringi regis filiam,& Vvaldratham pronepotis Theobaldi viduam Regnauit in Austrasia 5. annis, in Suessionibus 45 Obiit anno Domini 564. Campoduni mortuus, & Suessionibus sepultus in D. Medardi templo.

SIGIBERTVS

CLVTHARRI FILIVS.



QVi vag'auratis phœbi tremor errat in armis,
  Cui galeæ rutilans fulmine crista rubet,
Deuia non sequitur patris vestigia natus,
  Sed colit arma gerens relligione Deum.
Pugnacem patriis auertit finibus hunnum,
  Et victor victi præuehit exuuias.
Saxonico Sueuos mandat considere regno,
  Pro regno Latium dum fere Saxo, petis.

REX AVSTRASIAE.

Et fratrem bello ſuperat, truncatq; nepotem,
Perfidus in pactam geſſerat arma fidem.
Obſidet inde vrbes, quatit imos ariete muros,
Fraude necem miſero dum Fridegunda parat.
Quæ pacis ſimulata repoſcens iura ſequeſtræ,
(Ex vna mentes accipe fœmineas)
Impia dat letho affinem. Sic maſcula virtus
Heu! ſic fœmineo concidit icta dolo.

Sigebertus Clotharri filius Brunſchildem Atanagudi Vviſigothorum in Hiſpania regis filiam duxit, ex quo matrimonio Childebertus, Iucundis, & Clotoſinda orti ſunt. Regnauit 14. annis. Obiit anno Domini 578.

SCHILDEBERTVS

SIGEBERTI FILIVS.





PRima genas regi veſtibat flore iuuenta,
Irato iuſtus cui dedit arma dolor,
Vaſtauit patrui Schiltvvertus milite cāpos,
Vt damno ſenſit Francia victa nouo.
Dumq; laceſſitas retinetur victor ad vrbes,
Cædibus & cæſi vindicat oſſa patris,
Immiti patruus conſumptus morte cadit rex,
Sæua tuum facinus, quod, Fridegunda fuit.

REX AVSTRASIAE.

In clypeum aſſurgens & tactus amore puelli,
Tutandum agnati rex, diadema petit.
Seditione potens rerum tutoria geſſit
Nomina Gallorum, proh Fridegunda, pudor!
Cæde madens, audax gladio, ſuſpecta veneno,
Et cæſo mulier viuere docta viro,
(Burgundæ, & Genabæ ſolium niſi Guntramus oræ,
Ceſſiſſet regi Guntramus Auſtraſio)
Contemptrix ſuperûm cincta periiſſet in vrbe,
Quæ Paride impoſitum de Phryge nomen habet.
Mauricio poſthac turmas adduxit equeſtres,
Et victos Ligures reddidit imperio.
Boiorum cuneos ſociato examine flexit,
Ad ſua Taſſillum ſceptra redire iubens.
Clauſit & in multam longæuus lumina noctem,
Cui meritas natus detulit exequias.

Childeberto vxor fuit Faldubrada Vviſigothorum regis filia, ex qua ſuſcepit Theodoricum Aureliæ, Burgundiæ, & Delphinatus regem. Deinde Theodobertum. Regnauit 22. annis. Obiit anno 600.

THEODOBERTVS II.

SCHILTVVERTI FILIVS.



QVi Martem cunis viſus ſpirare timendum,
Et fera vagitu poſcere bella puer,
Attigit vt teneros primæ lanuginis annos,
Arſit in arma,ciens arma Neoptolemus.
Vaſconas euicit,regem domuitq́ue propinquum,
Atque auiam patrio fine reiecit anum.
Suſtulerant animos Ligures,Theobertus adegit
Excuſſo Auſtraſiæ ſubdere colla iugo.

REX AVSTRASIAE,

Conducto occubuit Rex milite cæsus in vrbe,
  Quæ proprium à Drusi coniuge nomen habet.
Occidit infœlix miserando vulnere victus!
  Brunschildæ infœlix occidit insidiis!
Et regis necdum satiata cruore, nepotum
  Infecit sanie vulnera sæua patris.
Mitior illa fuit repetens quæ virgo penates
  Contudit inductis ora paterna rotis.
O non amplexus, lachrymásve morata tuorum
  Iusta tuum crimen pœna sequetur, anus.

Theodoberthus 2. Velschildem duxit, ex qua Sigibertum sustulit. Regnauit 17. annis. Obiit anno 617.

THEODORICVS II.

THEODOBERTI SECVNDI frater.



Diuitiis retur quiſquis nil turpe parandis,
  Diuitiis pauper concidet ille ſuis.
Qui regno exegit fratrem Theoricus auito,
  A patruo ſceptris exſpoliatus aget.
Quicquid opum rapuit prædo, rapuiſſe queretur,
  Illud dum patruo cernet ab hoſte rapi.
Qui fratrem ob ſæuæ Brunſchildis perdidit iram,
  Brunſchildis frater perditus arte ruet.

REX AVSTRASIAE.

Diffuſo explebit fraternas ſanguine cædes,
  Par ſequitur merito par ſua pœna nefas.
„ Firma ſub aduerſo ſtat numine nulla poteſtas,
  „ Quæ non conſtituit, non beat illa Deus.
I nunc diuitias qui per tormenta recondis,
  Tormentis pariant dum malè parta necem.
„ Eſt animo frugi ſat opum, & ſatis ampla domi res,
  „ Si qua velit partis mens moderata frui.

Vxor Clothildis, ſiue Hermenberga Bertrici regis Hiſpani filia. Nati Sigebertus & Corbus. Regnauit 1. anno. Obiit anno Domini 618.

CLOTHARRVS II.

THEODORICO MAGNVS Patruus, Schiltperici Parisiorum, & Sueßionum regis: qui Sigevuerto frater erat, filius.




Mnibus Austrasię cęsis pronepotibus hęres
Inclyta Clutharrus regna secũdus habet.
Sæpius Austrasij reges, Galliq; monarchæ
Mutua per varias sceptra tulere vices.
Cognatæ domitor gentis, Mauortis alumnus
Cognato Axoneas sanguine tingit aquas.
Turbatis diducit equis rex iustus & æquus
Tot regum fuerat quæ rea mortis, anum.

REX AVSTRASIAE.

Supplicio ſentit Brunchildis fracta ſupremo,
Quod ſolet exitium facta nefanda ſequi.
Inde pater nato patruelia regna reliquit,
Vt poſſit liber mortis obire diem.
Effertur funus, gemitu, fletuque peracto,
Iuſta ſepulchrali natus honore facit.

Vxor Bertruda. Nati Dagobertus, Aribertus, Blitildis, Meroueus. Regnauit 12. annis in Auſtraſia. in Francia 44. Obiit anno 633. quibuſdam 631. aliis 644. die 29. Ianuarij. Sepultus in D. Germani à pratis templo.

DAGOBERTVS
CLVTHARRI II. FILIVS.



INdutus Libyci tegmen crudele leonis
 Neſciit hic princeps iuſſa aliena pati.
Hoſtib⁹ inſultās Aquitanos Marte repreſſit
 Stare ſui pactos legibus arbitrij.
Incircumciſa Iudæos viuere pelle
 Iuſſit per Chriſti dogmata ſacra, fidem.
Ad ſua deuictos deduxit flagra Tyrannos.
 Saxonas & Sclauos ſubdidit Auſtraſiis.

REX AVSTRASIAE.

Quem proauis frænata ſuis Hiſpania vidit,
Horruit & regis fortia caſtra noui.
Qui Dionyſiacis templum ſuperaddidit aris,
Flecteret vt faciles in ſua vota Deos.
Hoc regum manes confundere Mauſoleo
Iuſſit, & oſſa ſenex primus humanda dedit.

Vxor Gomatrudis Natus Clodueus. Regnauit 14. annis. Obiit anno Domini 645. aut 541. Spineti propter Sequanam mortuus, & in Dionyſij fano ſepultus.

SIGIBERTVS II.

DAGOBERTI FILIVS.



REx ſolium patris Tyrio Sigibertus in oſtro
Penè puer ſcandit, Iuraq; ſancta tulit.
Induere haud paſſus vetitũ ſua ſecula crimẽ,
Hoſtili cepit percitus arma dolo.
Reſtitit Illyriis abigens à limite Martem,
Pacificus Rheni fouit vtrumque latus.
Artes ingenuas coluit, ditauit amatos,
Vates Muſarum duxit & ipſe choros.

Dulcia

REX AVSTRASIAE.

Dulcia voce, manu confingere carmina doctus,
Et responsuram sollicitare chelyn.
Phidiaco bis sex posuit dis marmore templa,
Numinibus sanxit congrua vota suis.
Ah periit medio Sigibertus flore iuuentæ!
Debuerant Pylios cui sua fata dies.

Vxor Frideberga. Natus Dagobertus. Regnauit 2. annis. Obiit anno Domini 656. in suburbano Parisiensi ad sanctum Vincentium sepultus.

SCHILDERICVS

SIGEBERTI AGNATVS, AVSTRASIAE, INDE Franciæ Rex.



ARte Caledonias regẽ Grimoaldus ad oras
Miſerat,affectans vim, diadema, nefas,
Dũ patriã cepit Schildricus fraude parẽtis,
Agnato retinens debita regna ſuo.
Pectora pelle lupi indutus, caput oris hiatu,
Sueuerat hic rapto viuere, more lupi.
Qui captas domuit, tenuitq; licentius vrbes,
Et miſeras vetitum per ſcelus auxit opes.

REX AVSTRASIAE.

Hunc Bodilus torto ſignatus verbere terga
  Proſtrauit. Telum cauſa, locuſq; dedit.
Inſidiatus apris prædâ remeabat onuſtus
  Dum cecidit, ducto non rediturus equo.
Debita mors fuit hæc, mors ſanguinolenta tyranno,
  Atque peremptori querna corona ſuo.
Diſcite vos Reges famulis illudere veſtris,
  Audaces famulis cum paret ira manus.

Vxor Blithildis. Regnauit 12. annis. Obiit anno Domini 676. aut 679. à Bodillo percuſſus in D. Germani à pratis templo ſepultus.

THEODORICVS III.

SCHILDRICI FRATER VTRIQVE FRANCIAE præeſt.



QVi monachus fuit attonſo raroq; capillo,
Qui coluit cera, lampade, farre Deum,
Auſtraſios, Gallos hæres fratriſq; patriſque
Rex Theodoricus gratus vtriſque, regit.
Dum tamen hic Francæ Varrathum præficit aulæ,
Qui patriæ prorex munia ſuſtineat,
Auſtraſiæ ſplendor neſcit tolerare Pipinus,
Vult duo qui ſolâ regna tuenda manu,

REX AVSTRASIAE.

Atque ſibi primos regnorum poſcit honores,
  Et rerum meritò credita ſumma fuit.
Vltores iurata Deos in bella trahebat
  Exuperans cunctos inſuperatus auos.
Ignauæ tandem rex vitæ facta peroſus,
  Sæua petiturus prælia Martis erat,
Dum cupit æternum bellando quærere nomen:
„ Sed mors dura vetat, nil niſi fumus, homo.

Vxor Clothildis, ſeu Bathilda. Nati, Clodoueus, Childebertus. Regnauit 13. annis. aliis 19. Obiit anno Domini 693. Regiaci ſepultus in æde D. Vedaſti.

CHILDEBERTVS II.

THEODORICI TERTII Filius, Austrasiæ & Galliæ rex, Iustus quibusdam nuncupatur.



FLexilis obtorti cui tempora circulus auri
Ambit,& egregio cui nitet ore decus,
Rex ope proregis retinet Schiltvvertus ha-
Et duo victrici ſceptra fauore gerit. (benas,
Quo cum partitur rerum moderamen & aulæ,
Cui liciti mandat credita iura fori.
Et memor officij ſocios, comiteſq; laborum
Proregis natos adlegit inde duos.

REX AVSTRASIAE.

His etiam extinctis Martellum sufficit vnum:
Regis erat siquidem dignus obire vices.
Pellitur arte tamen Plectrudis compede vinctus,
Vt regat hæc regem sola per arbitrium.
Quidlibet audet anus Martelli iniusta nouerca.
„ Est in compositos nata nouerca dolos.
Rex cadit igne suo, natus cui reddit honores,
Iusta parentali constituitque die.

Filios habuit Dagobertum, qui & Clodueus dicitur, & Clotharrum. Regnauit 17. annis. Obiit anno Domini 715. Canciaci sepultus, alias Nancei.

DAGOBERTVS II.

SCHILTVVERTI FILIVS,
FRANCIAE ORIENTALI ET
Occidentali præficitur.



SItne Dagobert', vel Clodueus iste secũdus,
Non equidem moror. Haud nomine
dignus erat.
Nomine cuius anus sceptrum muliercula gessit,
Nomine rex & vir, munere nullus erat.
Dictabat solis Regem sua purpura gemmis,
At sua vita, sui mancipium vitij.
Nam versis poterat studiis parere minister

Fœmineo

REX AVSTRASIAE.

Fœmineo princeps ſubditus imperio.
Decidit hic regnis ignauus ad otia natus,
Delitiis certans luxuriare nouis.
Fœmineam quis ſceptra decere virilia dextram
Cenſeat? & pariens arma decere latus?
Torqueat illa colum,deducat ſtamina fuſo,
Et penſi madido pollice fila terat.
Triſte iacet ſceptri decus & reſpectus honoris,
Et Regnum & Regem fœmina ſi qua regat.

Vxor Clothildis. Nati Theodoricus, Schildricus. Regnauit 4. annis. Obiit anno Domini 719. Nancei ſepultus.

DANIEL, ſeu CHILPERICVS

VIR OBSCVRVS ET nouus, niſi Dagoberti II. filius aut frater ſit.



Vi vittis ſolitus fuit inſignire ſacerdos
Tempora Chilpericus rex diadema gerit.
Dedecꝰ Auſtraſię,timor atq; infamia terræ,
Francica regna regens ille regendus erat.
Præſide Ramfrido Francâ detruditur aulâ
Plectrudis patrios pellere ſueta duces.
Præſidibus patrij conceſſa licentia ſceptri
Et ſceptrum & reges perdidit, & patriam.

REX AVSTRASIAE.

Sed procerum iuſſu Ramfridus pellitur ipſe,
Martelluſq́; nigro carcere liber adeſt.
Spectatum meritis aulæq́; foriq́; magiſtrum
Publica poſcebat resq́; ſalusq; domus.
Firmauit qui regna nouis decorata trophæis,
Atque acuit fortes in fera bella viros.
Regnorum pondus deiecit inutile Regem,
Præfecitq́; ſacris ante cuculligerum.
Vt traheret latam clauſtris inglorius aluum,
Dum malè Rege ſub hoc res ſtabat Auſtraſiæ.
Cogere diſcat opes Princeps,& parcere partis,
Et regni diſcat Rex memor eſſe ſui.

Vitam Monaſticam ducere is eſt coactus Ratisbonæ. Regnauit mēſes aliquot Obijt ann. Domini 720.Nouioduni ſepultus.

CLOTHARRVS III.

DAGOBERTI FRATER IN VTRAQVE GALLIA regnat.



DEsidia fracto & factis Daniele repulso,
Clutharrus fit Rex & caput Austrasiæ,
Vt Regis tātum conseruet inutile nomen,
Et custodito torpeat in solio:
Dum solus Tutides prorex aulæq; foroq;
Imperat,& solus munera Regis obit.
Qui se pro patria pugnis interritus offert,
Pro patria fortis fortia bella gerit.

REX AVSTRASIAE.

Hostiles curat sensu præuertere sensus,
  Quæque pericla metus sufficit, ira domat.
Condolet Austrasij monumenta perire nitoris,
  Et cadere egregium, quod fuit ante, decus.
Rex moritur, vacuasq; animam diffundit in auras,
  Et linquit rapidis ossa cremanda focis.

Regnauit 2. annis. Obiit anno Domini 722. Canciaci sepultus.

CHILPERICVS

ITERVM REX.





EXortem regi ſua ſors reparauit honorem,
Clauſtris non caſtris qui retinendus erat.
„ Sæpe ruit regum in peius vitioſa propago,
„ Exulat atque atauos non imitata ſuos.
Ni Tutiden patriæ mouiſſet cura labantis,
Excidium regnis ille futurus erat.
„ Tantum ſola nocet terris ignauia regis,
„ Irati quantum fulmen & ira Dei.

Sed Nouiod uni luxus monumenta reliquit,
Vixerat vt torpens,languidus interijt.
Nec potuit ſiccis Martellus funus ocellis
Efferre,at lachrymas in noua buſta tulit.
Et multo fruſtrà reuocauit murmure manes.
Non hominum poſſunt oſſa ſepulta loqui.

THEODORICVS IIII.

DAGOBERTI SECVNDI FILIVS.



AVratæ Theodorico fulſere lacernæ,
Vnctas & cinxit picta corona comas.
Rege ſub hoc hoſtes patriæ lethaliter odit
Auſtraſij Tutides arbiter imperij.
Clara Pipinææ reuocat primordia gentis,
Proq; domo in bellum ſtrenuus ire cupit.
Ne lædat ſeros infamia ſera nepotes,
Dux ſequitur veteres bella ſecutus auos,

Qui

Qui Senonas, Sueuos, Frisios, Hunnos, Boiosque
Frænis assuetos subdidit Austrasicis.
Qui Sarracenos, Garites, Gothos, & Iberos
Vicit, sex reges, sex domuitq; duces.
Regis & interitu turgentia lumina tersit,
Augustasque pius fecit honore pyras.

Habuit Theodoricus Schildricum filium. Regnauit 15. annis. Obiit anno Domini 741. sepultus in D. Dionysij templo.

CAROLVS MARTELLVS,

Ex vetusto Codice.

Ecce Brabantinus Dux quartus in orbe triumphat,
Malleus in mundo, specialis christicolarum
Dux, Dominusq; Ducum, Regum quoque rex fore spreuit,
Non regnare cupit, sed regibus imperat ipse.

SCHILDERICVS III.

THEODORICI FRATER, STVPIDVS NVNcupatus.



REgibus exactis patriæ defensor & vltor
Fit Roma Brutus consul in vrbe prior.
Eiectis sed consulibus Rex vltimus hic est,
Rex qui neglexit consilium & patriam.
Vltimus est stirpis stolo Schildricus Merouinæ,
Qui cadit vt iaceat, qui iacet vt pereat.
Sic pereat fracta qui fœdat imagine gentem,
Oscitat insipidis quiq; monarcha labris.

F

REX AVSTRASIAE.

Sic ſtupidi pereant faſtus & ſtemmata Regis,
Imperium, ſplendor, gloria, fama, genus.
Conato meritas Gallorum anteire ſecures
VVitvvino trabeas ſceptraq; Papa dedit,
Ne patris auxilio Tutidis firmata labarent
Auſtraſij & Galli nomina Franca ſoli.

Hic in Monaſterium Ratisbonenſe detruſus. Regnauit 9. annis. Obiit anno Domini 750. Ratisbonæ ſepultus.

CAROLOMANNVS

QVI CARLEMANNVS, CAROLI MARTELLI filius.



POst varios hominum, belli regniq; labores
Carlmann⁹ patrium missus in imperium,
Casibus emeritā dominādi negligit artem.
Euersa populos quis ratione regat?
Illi cura Deus, non per tormenta coacta
Quæ conseruantur regna labore, metu.
Vincit opes animo deuinci nescius armis,
Sponte sibi Princeps imperiosus agit.

REX AVSTRASIAE.

Qui ſtolidi fugiens lites & iurgia mundi
Delubris modulans cœnobi archa latet.
Attonſus petit hic templum, Chriſtumq; per aras
Exquirit, vigiles inſtituitq; preces.
„ Quid prius & melius votiua cœlibe vita?
„ Angelicis par eſt vita pudica choris.
Vt pius exemplum fidei venerabile vixit,
Marceſcens annis ſic pius interijt.

Hic Caroli Martelli ex Schvuandeilde Odilionis Boiorum ducis filia, filius vitam monaſticam ordinis S. Benedicti in mõte Soracte elegit Regnauit 3. annis. Obijt anno Domini 753. Viennæ aut in monte Caſſino ſiue Soractenſi ſepultus.

PIPINVS

QVI VVITVVINVS COGNOMENTO BRAVVS, ALIIS, Breuis, Carolomanni frater.



MOllia dum properã discinctus in otia vitam
Schildricus claustris vertice tonsus agit,
Romuleus præsul Galli dat sceptra Pipino,
Cuius auos inter Rex Varemundus erat.
Huic quoq; deuenerans oneratis lancibus aras
Frater opes linquit claustripeta Austrasias.
Nam patriæ euerso poterat succurrere seclo,
Et rebus fessis consulere in medijs.

REX AVSTRASIAE.

Griffonem vincit, VVafarum perimitq; rebellem,
Protegit illæſum pontificale decus.
Sedula cura domus fuit huic rectiq; boniq;,
Et populi ſummus damna leuare labor.
„ Digna deo virtus opibus coniungere mores,
„ Conuenienſq; bonis moribus ingenium.

Pipinus Carolomanni frater Bertham Longipedem Heraclij Imp. filiam duxit. Ex qua Carolum magnum, Carolomannum, Bertham quę nupſit Miloni comiti Cenomano, ex quibus Rolādus, & Pipinum, qui in pueris obijt, ſuſcepit. Regnauit 18. annis. Obiit anno Domini 778. in æde D. Dyoniſij ſepultus.

CARLOMANNVS II.

PIPINI BRAVI FILIVS.





FRatribus inceſſit magno diſcordia motu,
Dum Reges non fert regia ſola duos.
Sorte Moſellani retinet diademata regni
Carlmannus,patriæ tunc Sara limes eras.
Cui validus cœptis animus,feruorq́; furorq́;
Accendit ſtudium & parturit inuidiam.
Mens agitat pugnas,clarosq́; ardeſcit in auſus,
Certamen patriæ motus honore ciet.

Vt

REX AVSTRASIAE.

Vt iuuenescentes armis exerceat annos,
  Arma parat, fratrem sternere Marte parat.
Frater opes fratri Carlo Rex inuidet ipse,
  Fraterna frater prosperitate macer.
Sed premit ossa niger liquor, & sæuas tegit iras,
  „ Spes hominum est semper falce resecta necis.

Carolomanno Pipini filio vxor fuit Bertha. Duo filij ad Tassilonem Bauarum & Desideriū Longobardum fugerunt. Regnauit 3. annis. Obiit anno Domini 781. Salmoncæ sepultus.

CAROLVS MAGNVS IMP.

CARLEMANNI
FRATER.




Vis Carolo magno vixit,q̃s Cæſare maior?
  Plura quis à victa gente trophæa tulit?
Sarracenigenas qui Chriſti miles & vltor
  Sperato Chriſti contudit auſpicio.
Submotis toto qui reddidit orbe Britannis
  Regem cum Regno reddita ſceptra ſuo,
Qui Sardos,Boios,Lombardos,Saxonas,Hunnos
  Compulit Imperij fræna ſubire ſui.

REX AVSTRASIAE.

Quo duce Verbigenā coluit Germania Chriſtum,
Ante Deum vanis dedita ſeruitijs.
Qui mare, qui terram clarus ditione ſubegit
Magnanimæ gentis viribus Auſtraſicæ.
Solus & hic magno Magnus dominatus in orbe
Vegerræ moriens condidit oſſa ſolo.

Caroli magni multæ vxores, Galiena Toletani Regis filia, nati Carolus, Pipinus, Ludouicus. Hermingardis quæ & Theodora Longobardi Deſiderij ſoror. Nati Rotrudis, quæ Conſtantino Helenes filio Conſtantino Politano Imp. deſponſata eſt. Gizela & Bertha ex 3 vxore Faſtrada Rudolphi Franconici filia ſuſtulit Theodoram & Hiltrudam 4 vxor fuit Luitgarde Friderici Lothoringi ſiue Auſtraſiæ ducis filia. Regnauit 47. annis Obijt ann. Domini 814. Aquiſgrani ſepultus.

IN CAROL. MAGNVM IMP.

Rantzouius.

Quis me iure negat Magni cognomen adeptum?
Quin titulus factis eſt minor ille meis,
Floruit optata ſub me duce Gallia pace,
Pannonijs fuſus concidit Hunnus agris.
Itala ſublatis tellus pacata Tyrannis,
Heſperia pulſus, Trux Saracene, plaga.
Imperij ſedes per me Germania facta,
Saxonis & Chriſtum terra profeſſa deum eſt.
Gloria neglectis duce me quoq; reddita Muſis,
Ipſe repurgatæ nec rudis artis eram.

LVDOVICVS PIVS IMP.

CAROLI MAGNI FILIVS.




Raude sacerdotũ Ludouicus surgere bella,
Et prolem doluit vertere in arma manus,
Prospiciẽs stirpi solium illustrauit auitum,
Sed patris & patriæ stirps sitis exitium.
Nati acies audent struere & se credere campis,
Proq; patris sceptro cum patre bella gerunt.
Et pius in patrijs victus pater exulat oris,
Dum patrias onerat dura catena manus!

REX AVSTRASIAE.

Post varios casus pater est in sceptra remissus
Non sine prævalido numinis auxilio.
„ Qui solet alterno mortalia flectere casu
„ Deprimit,& dominus quos premit,ipse leuat.
Annos inde pius clausit sine labe peractos,
Cuius adhuc Metis molliter ossa cubant.

Vxores Hildegarda seu Hermingarda Saxonica.nati , Leuterus aut Lotharius,Pipinus, Ludouicus.altera vxor Gutha seu Iuditha Velfi,Bauari Principis Rauenspurgensis & Altedorfensis filia, & Henrici I. Bauariæ ducis soror, ex qua suscepit Carolum Caluum.Regnauit 24.annis.Obiit anno Domini 840. Moguntiæ moritur & Metis in D.Arnoldi fano sepelitur.

IN LVDOVICVM PIVM.

Boissardus.

Tu Danos vincis,superas virtute Britannos,
Expulsum regno restituere patres.

Vrsinus.

Luduico nati sunt reddere sceptra coacti,
Vtq; pater magnus,sic erat iste pius.

LOTHARIVS IMP.

LVDOVICI PII FILIVS.



REx operum fidens ad patris ſceptra vocatus
 Leutherus ſimilem ſe docet eſſe patri.
Et melior pacem clauſo producere Iano,
 Bella mouet, patriæ bella coëgit amor,
Damnandis certat lites decernere peltis,
 Enſe ſibi faciens Galla per arua viam.
Quem timuere ſui fratres, & Tybris & Arnus,
 Et damno vidit Martia Roma ſuo.

REX AVSTRASIAE.

Poſſeſſo dedit immutata vocabula regno
  Fortibus à proprij nominis auſpicijs,
Leutherus robur ſignat dominumq; virorum,
  Victrici inde ſolo gloria,fama,decus,
Creſce virum domitrix,Leutheri regia creſce,
  Creſce,vireſce,vige rebus vt ampla viris.
Aeternùm clare meritis præfulta tropheis,
  Et vince imperio facta ſuperba dato.
Libera ſi qua tuis tellus ſe ſubtrahit oris,
  Leutheras patriæ ſentiat illa manus.
Tactus amore Dei,ſed Rex altaribus ignem
  Fouit,dum patriæ ſat domuiq; datum.
Næ laudandus hic eſt Princeps,quem prole parata
  In clauſa tenuit grata ſenecta domo.

Vxores, Edilla aut Egidda Angliæ Regis filia. nati Ludouicus, Leutherus, Carolus. Altera vxor Hermingarda Saxonica Hugonis comitis filia Regnauit 15.annis. Obijt anno 855.in Monaſterio Plunerijs iacet.

Vrſinus.

Imperium nato Lotharius arrogat vltro,
Ipſe inter Monachos relligioſus obit.

LOTHARIVS II.

LEVTHERI FILIVS, AB HOC SVMPSISSE NOMEN Lothoringiam quidam volunt.



REgem proloquitur radiatus circulus auro,
  Qui patriũ patrio nomine numen habet.
Northmannis fuerãt quæ diuexata tyrãnis
  AEgrè Leutherus patria regna tenet.
Nam populos rabies collecta fatigat edendi,
  Et duro, miserum! tempore bella premunt.
Munera triticei desunt Cerealia farris,
  Semina agrum fallunt, semina fallit ager.

Raref.

REX AVSTRASIAE.

Rarefcit collecta feges,fuccedit egeftas,
  Et quæ rimatur pallida membra fames.
Arma domi,Bellona foris,furit hoftis in armis,
  Rex tamen expulfo damna furore leuat.
Deuouet hunc furijs Romanus prçful acerbis
  Difiuncto audentem viuere coniugio.
Meffapijs fratri frater fuccurrit in oris,
  At fera graffatur per fua caftra lues.
Et mala cunctantem Leutherum fata regreffus,
  Fata Placentino detinuere folo.

Vxor Theoberga fiue Dietburga. Regnauit 16. annis. Obiit anno Domini 871. Placentiæ fepultus in D. Antonij fuburbani templo.

CAROLVS CALVVS

IMPERATOR, LEVTHERI II. PATRVVS VTRIQVE GALLIAE vel franciæ Rex & Imperator.



Gallica fecerunt geminæ ſuffragia terræ
  Regem, ſed regnis vix ſatis aptus erat.
Dalmaticam collo cui cinxit fibula veſtem
  Ridenti braccam, ſimpliciusq; ſagum.
Exoſum Imperij ſella trabeaq; nepotem.
  Fraudauit, certa poſtmodò fraude perit.
Qui nunquam fuerat, nec erat, tamen ipſe videri
  Certauit fictis moribus eſſe bonus.

REX AVSTRASIAE.

Imbutus vitio, vitio prætendere fucum
  Calluit, & fraudes Marte vel arte ſequi.
Anglos prudenti iuſſit formidine cautos
  Et pacem & legem ferre per arma datam.
Duxit ouans ſpolia à tergo, flentesq; cateruas
  Maurorum, & Latijs otia reſtituit.
Tandem regnator populis, opibusq; ſuperbus
  Lethifera medicę concidit arte manus.
Carolus haud armis ſed Circes gramine victus
  Ille Bian oreo conditus eſt tumulo.

Carol. Caluus Leutheri filius vxorem hahuit Iuditham Boſonis Burgundi ſororem, ex quibus Ludouicus Balbus, Lotharius, Carolus Aquitaniæ Rex, Carolomannus, Iuditha, quæ nupſit Edelboldo Regi Anglo, & eo mortuo Balduino Flandrię Comiti, Regnauit in Lothoringia 8. annis, in Gallia 39 præfuit Imperio Romano 2 Obijt anno 878. Mantuæ veneno ſublatus, Vercellis aut Lugduni ſepultus, ad fanum Dionyſiacum relatus.

MICYLLVS.

Hic fratris regni prævertit fraude nepotes,
  Dum petit Auguſtas ambitioſus opes.
Britone dehinc victo, vaſtantibus omnia Mauris
  Perfidia medici mortuus ipſe ſui.

LVDOVICVS BALBVS II.

CAROLI CALVI FILIVS, CAESAR.



Exilibus clarus gemmis,auroq; coruſcus
Accepit Balbus ſceptra gerenda patris.
Et vitiũ linguæ Rex mẽte manuq; redemit,
„ Menti quàm linguæ gloria maior ineſt.
Rex animi præſtans, fortunatusq; laborum
In Latio fixit Martia caſtra ſolo.
Indomitus vicit tot millia Northmannorum,
Reſperſo quorum ſanguine tinxit humum.

REX AVSTRASIAE.

Captiuosq; duces & vinctos colla Tyrannos
Ante suas duxit iuncta trophæa rotas.
Censum fecit opum,metas & condidit ipse
Austrasiæ fines inter vtrosq; suæ.
Annos si Lachesis potuisset nere terendos,
Factis implesset Solis vtramq; domum.
Ast nunc à Parcis tenuem mutatus in vmbram est,
Splendoremq; premit tetra fauilla suum.

Ludouico Balbo vxores, Hausgarde quam duobus liberis susceptis Ludouico & Carolomanno Calui parentis iussu dimisit, Adelheide, ex qua Carolum Simplicem sustulit. Regnauit 2. annis. Obiit anno Dómini 880 Compendij sepultus.

VRSINVS.

Balbus item Imperij titulum Ludouicus adeptus
Occidit ante annos Cæsar & iste duos.

INTERREGES.

QVI LOTHORINGIÆ CONFVSIS IMPERIIS præſunt.



VOmeris impatiens ſi tu deſerta iaceres,
Si vix terra fores, vix habitanda Pali,
Cœnoſa tantùm ſi fœda palude rigeres,
Siue tibi tantùm deſes arena foret,
Si non vrbis opes, ſi parca noualia ruris,
Ad ſegetes ſi non ingenioſus ager,
Si non Bacchæo pingues tibi palmite colles,
Antris ſi vacuis nulla metalla dares,

Armorum crepitans tibi non inſurgeret horror,
Non tantis eſſes præda petita viris.
Tu ſeptem pateris ſęuos Lothoringia Reges,
Caſta ducem mater dum fouet inualidum.
Sunt duo Ludvvicus,Carlmannus pellice nati,
Craſſus & Ernholdus,poſt Ludouicus Iners.
Zvvingbalbo Regem Conradum ſuffice primum,
Hos in perniciem diſce coiſſe tuam.

Ludouicus & Carolomannus habiti ſpurij matre repudiata. Carolo Craſſo Imp. vxor Richarde Scotica Ernholdus Carolomanni ſpurij filius duxit Agnen Græcam. Hi & cæteri confuſis Imperijs regnant 26. annis.

CAROLVS SIMPLEX III.

LVDOVICI BALBI FILIVS.



AVrati bis ſex radij cui tempora cingunt,
Nobile cui pectus gemmea bulla tegit,
A teneris ſimplex, & fraude remot⁹ ab oĩ
Rex gladium ſumpſit non ſibi ſed patriæ.
Quæ varios dudum tulerat miſeranda tumultus,
Et pauido ſteterat debilitata iugo.
Sed regi nocuit ſimplex & candida virtus,
Credulitas damno ſimplicitasq; fuit.

Victo

REX AVSTRASIAE.

Victo nam duce Ruprecto fœliciter armis,
  Rex propria victor ſimplicitate ruit.
Quaq; ſagittiferam ſolitus geſtare pharetram,
  Geſtauit Princeps turpia vincla manu.
Credulus ah nimiū! Erhvverto deluſus ab hoſte eſt,
  Quem ſibi laturum fortè putabat opem!
Et poſito moribundus humum diademate preſſit
  Rex victi victor proditus arte ducis.

Vxor, Alginis Angliæ Regis filia. Nati, Ludouicus Tranſmarinus, Giſla quæ Rolloni Duci Nortmanniæ nupſit. Imperauit 27. annis vtriq; Galliæ. Obiit anno 926, Peronnæ ſepultus.



LVDOVICVS III.

QVI TRANSMARINVS DICTVS, SIMPLICIS CAROLI filius.



ISte ſuper propria molitus laude laborem
Bellica pro patrijs induit arma focis.
Ad Tameſin portu ſoluit Rex claſſe parata,
Et mala vertendis ſydera tempſit aquis.
Vtq; Moſellanis poſuit veſtigia terris,
Vltrices Heduus ſenſit adeſſe manus.
Quem dare terga fugę victor pudibunda coëgit,
Patris & extorſit debita regna ſibi.


BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1895

REX AVSTRASIAE.

Erhvvertus Regi temeraria vincla parenti
Addiderat,ſenſit præmia digna,crucem.
Sed duro vſq; adeò Ludouicus carcere luxit,
O ſors! dum liber coniugis arte redit.
Induperatoris ſtudium mercatus Othonis,
Iura ſui tandem liquit auita ſoli.
Pace domi facta,riguerunt febribus artus,
Et moritur,Rhemis oſſa ſepulta iacent.

Vxor Gerberga Othonis 1 Imperator.ſoror & Gilberti Lothoringiæ ducis vidua, & Henrici 1.Imp.filia nati Carolomannus, Leutherus aut Lotharius Galliæ Rex, cuius filius ſine hærede mortuus eſt. Carolus, Henricus gemelli Machthildis quæ nupſit Conrardo Burgundiæ Regi. Regnauit 17. annis obiit anno 955. Rhemis ſepultus.

IN LVD. TRANSMARINVM.

Franciſ. Guibaudetus.

Anglorum hic profugus petiit cum matre Penates,
Celtica tunc Heduus regna Rodolphus habet.
Quo vita functo,francas reuocatus ad oras
Nobile Gallorum Rex diadema gerit.
Aſt à Northmannis duro certamine victus
Truditur in clauſa triſtia tecta domus.
Obſide ſed nato tandem exit carcere Princeps,
Rhemenſi illius corpus in vrbe iacet.

ILLVSTRISS.

PRINCIPI D. HENRICO LOTHORINGO, SERENISSIMI Lothoringiæ,&c.Ducis adultiori filio, Musipontis Marchioni Principi & Domino suo.

N. LOMBARDVS.

FLos iuuenum, virtus patria, lux inclyta morum,
Nomine auũ referẽs, Henrice, animoq; parentem,
Dux fidei commisse meæ, mea gloria Princeps,
Cum Latiæ, cum Teutonicæ discrimina linguæ
Haurires animo, modò cui me subdo regendum,
Aure meam patulâ si vocem fortè bibisti,
Huc aduerte precor, sacris in postibus arma,
Et patriâ pugnata manu viden' ordine bella?
Cernis Idumæos victo Mahumete triumphos?
Hoc Clemens posuit, Clemens tuus ille Trelæus.
Vt regum meminisse queas, dux, gesta tuorum,
Et cœli affectare viam cum gente supremi.
Munifica Clemens meruit num præmia laudis?
Hunc ni suscipias, dites, foueasq;, colasq;,
Parce, ducum, Dux, immemor esse videbere patrum.

LOTHORINGIAE DVCES

EPIGRAMMATIS PER N. CLEmentem descripti.

SERENISSIMI PRINCIPIS D. CAROLI III. LOTHORINGIAE, &c. DVCIS MARCHVSANI TRIBVS Illustriss. Filijs D. D. D. HENRICO Musipontis Marchioni, CAROLO Mediomatricum Episcopo, & FRANCISCO Vandalomontis Comiti, fratribus Lothoringiæ Ducibus Dominis & Principibus suis.

AVrea qui toto reuocatis secula mundo,
Eq; Chao generis qui dinumeratis honores,
Austrasÿ fratres, vos tres, tria lumina mundi,
Sumite gesta patrum vobis hortamina laudis,
Quæ vestra cecinit memoratrix tibia famæ.
Atq. pares atauis vestro molimine nomen
Sperate & superate, Duces, virtutibus orbem:
Vt Lothoringa potens Franca bonitate propago
Clareat, & solium Christi & cœlestia tentet,
Et sua gestorum natis monumenta relinquat.

CAROLVS
LVDOVICI TRANSMARINI FILIVS.



CArolus assiduè infestis agitatus in armis
  Prælia cum multis irrequieta gerit.
  Nec regnare potest sub regni parte recept⁹,
In regno Regem ferre negat socium.
Instituit patrio pro Marte lacessere Martem,
  Ne dispertitis exulet Imperijs,
Et dubia mauult vinci seu vincere pugna
  Quàm data Dux patriæ perdere iura datæ.

AVSTRASIAE DVX.

Rex qui debuerat, ſtudiumq; fidemq; negauit,
Conſultoq; fuit Gallus Othone vafer.
Ille tamen ſperat, rebus perdurat agendis,
Intrepidus vires non pauet Imperij.
Si cadat, inuicto deuictus Othone feretur,
Atque illi victo laus domitoris erit.
Pergit & exantlat duros virtute labores,
Par operi robur datq;, fouetq; Deus.
Cis Vogeſas recipit terras Dux à Ioue ſummus,
Quas Moſa, quas Araris, Murtha, Moſella rigant.
Et patriæ damnum reliquæ ſolatur ademptæ,
Duxq; minus Regem ſe meminiſſe dolet.
At fratris natus fato præreptus acerbo
Galla impoſſeſſi liquerat arua ſoli,
Hæres dum Galla repetit diademata lege
Carolus, & myſtæ proditus arte ruit,
Atque animam Ligeris rapidas dimittit ad vndas,
Vincula protoduci ne diuturna forent.
Optatæ necis hæc vicit generoſa cupido
Inſidias hoſtis, Martis & inuidiam.

Carolo vxores Bona Richvvini Arduennæ & Moſellaniæ Principis filia, Senioris Gotefridi Longobarbæ ſoror. Nati Otho, Henricus. Bona, Gerberga quæ Lamberto Louanij Comiti nupſit, Ermingarde Alberto Comiti Namurcço. 2 vxor Agnes Treccarum comitis filia: Nati Ludouicus, Carolus cum parente Aurelijs capti & mortui. Regnauit 42. annis. Obiit anno Domini 993.

OTHO
CAROLI FILIVS.





NOīe prim⁹ Otho Dux imperat iſte ſecūdus,
Magnanimus, conſtās. fortis & indomit⁹.
Muros & mores populis induſtrius addit,
Et firma patriæ protegit arua ſude.
Qui regni & regum dum ſurgit imago parentum,
Per medios hoſtis non timet ire globos.
Deturbat cuneos, ſternitq; fugatq; cohortes,
Propitiusq; cauet dum fauet ille ſuis.

Prole

AVSTRASIAE DVX.

Prole carens hæredem ſubſcribit Gotefridum,
   Leucenſes habeat nè peregrinus opes.
Ni Stygijs præreptus aquis, potuiſſet adempto
   Galla Capetęo ſoluere colla Iugo.
Conditur ah tumulo Princeps Lothoringus auito!
   Qui lauros ſuperûm condidit in gremio.
Quantula ſint ducibus, ſint quantula regibus auſa,
   Mors omnes, heu! mors omnibus æqua, docet.

Vxor Sidonia ſiue Blanca Gulielmi Arelatēſis comitis filia. Regnauit 4. annis viuo parente 11. defuncto. ſepultus Treuiris in D. Arnulphi Templo.

GOTEFRIDVS

OTHONIS AGNATVS SIue patruelis, ex testamento Dux hæres cognomento Iunior Barbatus.



BArba Gotefridũ decuit ceu mascula virtus,
 A barba nomen qui iuuenile tulit.
Incubuit lapsi generis sarcire ruinas,
 AEquauitq; suos insuperatus auos.
Dux vetuit clades, armisq; coercuit arma,
 Cum ferro clades impia bella darent.
Tres Comites domuit tela exitiosa gerentes,
 Legatumq; solum viribus asseruit.

AVSTRASIAE DVX.

Et lustris gestata tribus sua sceptra reliquit
Inuidia sæuæ deteriore necis.
Occidit ah querulos euectus ad astra per ignes!
Occidit Austrasiæ gloria militiæ!
Componens vnguenta viro, sertumq; sepulchro
Ingemuit custos vxor ad ossa ducis.
Tantarum dominus rerum, morumq; magister
Non patriæ nasci, non meruitúe mori.

Gotefrido senioris Gotefridi Longobarbę filio vxor fuit Gertrudis Berengarij 3. cognomento Boni Longobardorum regis filia Nati Gotfridus, Ricvvinus, Henricus, Otho, Bertha, Itta, Adelheida, Beatrix, Regnauit 16. annis Obiit 119. Viroduni ad S. Petrum sepultus.

GOZELVS

GOTEFRIDI FRATER
BONONIAE COMES,
Augustus.



PRincipis Augusti nomẽ memorabile seruãs
Instruxit victor Gotzelus ense manus.
Turrita euertit violatis oppida muris,
Bellouaci Comitis sanguine tinxit humum.
Insolitos audens bellorum accendere motus
Dux tribus indixit prælia Cæsaribus.
Quem ferus ad multas timuit Germanus aristas,
Virdunus mystes & Catalaunus Odo.

AVSTRASIAE. DVX

Quæ vi perdiderat Dux vi repetita recepit
Regna, fuitq; ſuo parta labore quies.
Dumq; parens iecit meritarum ſemina laudum,
Papa fidem ſacram filius aſſeruit.
Qui fuit ignaris lumen, ſolamen egenis,
Qui tonuit Chriſtum ſæpius ore pio.
O generoſa domus, ſuboles ô maxima diuûm
Vincere docta manu, vincere docta fide!
Sceptra geras dubij non ſubdita legibus æui,
Nulla ſit & regni neſcia terra tui!
Et quæ concipio veterum tua pægmata regum
Per titulos durent ambitioſa tuos!
Plagarum vetulos geſtans in pectore nodos
Dux moritur, fato debita vita ducum.

Vxor fuit Iunca Berengarij 3. Longobardorum Regis filia. Nati Gotzelus, Gotefridus, Fridericus Papa & Stephanus IX. dictus. Cōradus Leodij Archidiaconus. Ezzo, Gotefridus, Rheinholda quæ nupſit Alberto Comiti Namurcæo, Oda Lamberto Comiti Louanienſi, Idda, Rapatoni Ergouiæ Comiti. Iunca, Mechthildis. Regnauit 25. annis Obijt anno Domini 1044. ſepultus Viroduni ad S. Videnum.

GOZELO II.

QVI GOTSHELVS, GOTSHELI FILIVS, INERS aut ignauus.



DVlce solũ Lothoringia scit, Germania nouit
  Quanta meæ genti spes ego laudis eram.
Clarus auis & vtraq; tenẽs de stirpe monarchas,
  Hectoreæ stirpis Dux imitabar auos.
Et me posteritas ingrata recenset inertem,
  Quod mihi, quod simplex & sine fraude fides.
Mi tamen apta fuit bello seu dextera paci,
  Artis sed specimen me dare mors vetuit.

AVSTRASIAE DVX.

Me præmaturo, me mors extinxit in æuo
Ne multis nomen creſceret in titulis.
Incuſet Parcas, breuibus ſuccenſeat annis,
Et ne morte breuis ſit mihi vita pudor.
„ Sunt cita fata viris longæ compendia vitæ,
„ Vitæ vita breuis num via perpetuæ?

Vxor Agnes Conradi Franconiæ Ducis filia, Regnauit menſes 11. Obiit anno domini 1045. Viroduni ad S. Videnum ſepultus.

GOTEFRIDVS II.

BARBATVS GOTSHELI II. FRATER, PROBVS eques.





Vi Phaſianææ ſurgunt de caſſide pennæ,
　Cui clamys argento, cui riget ære thorax,
　Auſtraſij ſellam trabeamq; inſignia regni
　Hic probus accepit Dux Gotefridus eques.
Externis actus furijs defendere gentem,
　Martis opus renouans arma cruenta tulit.
Namurium, virodunnæum captiua coegit
　Colla pati, merito qui periere malo.

AVSTRASIAE DVX.

Italiamq; petens regi ſuccurrit Hetruſco,
Martia defendit mœnia Pontificis.
Aſpera Northmanno pacauit ſæcula victo,
Et fixit patrijs hoſtica ſigna tholis.
Marte fero tumidus,partoq; ſuperbus honore
Fraternis moriens condidit oſſa focis.

Vxor Agnes Hugonis abs Burgii comitis filia nati Gotefridus qui in Cæſaris aula obiit. Gotefrid Barbatus. Gotzelus, Héricus qui in cunis obierunt. Ida quæ nupſit Euſtachio Bononio Comiti Gertrudis Friderico Luizemburgio. Berta Friderico Tullenſi Regnauit 26.ann. Obiit anno dom. 1070. Virod uni in æde Mariæ Virginis ſepultus.

GODOFRIDVS III.

BARBATVS, STRVMOSVS, GOTHEFRIDI BARBATI II. filius, Cygnifer eques.



Egregius sceptro & latè dominãtibus armis
Gotfridus regni pondera sustinuit.
Et premere & laxas nouit dare doctus habenas
Dux eques à niueo Cygnifer ingenio.
Rebus Alexandrum vetuit succumbere duris,
Pontificem fulsit, pontificisq; pedum.
Prole carens legit Gotefridum ad regna nepotem,
Qui Lothoringorum tutor & auctor eat.

AVSTRASIAE DVX.

Poſtea Baldvvino Friſijs ſuccurrit in oris,
Et certum Batauis præſtitit officium,
Edidit ingentes armis ferus iſte ruinas,
Atq; ſuo Friſium diſpulit orbe genus.
Debuit acceptos Lothoringis Belga triumphos,
Quod cæſo redijt tutus ab hoſte domum.

Vxor Mechtildis Bonifacij Hetruriæ & Mantuæ Principis filia. Nati Gotefridus, Bonifacius, Mechthildis, Beatrix, qui in cunis deſiderari cœperunt. Regnauit 7. annis. Obiit anno dom. 1077. Viroduni in æde virginis ſepultus.

GOTEFRIDVS

BONONIVS IV. BARBATI III. ex Ida ſororenepos, Euſtathij Bononiæ & Bullionij Comitis filius, dictus procerus heros.



QVa ſerie tua geſta canam? quo fine quieſcā?
Et quo pollice Rex te Gotefride feram?
Quem magno Oceano perfuſus non capit orbis,
Euehit ad cœlos quē celebratus honos.
Millibus armigeris ſuperaſti ſeptingentis
Orontem inuito milite Achæmenio.
Et tibi vulnera ſunt calido ſiccata cruore,
Victa ſitis fluuio & victa labore fames.

AVSTRASIAE REX.

Clara Palestinæ domitor palmeta subisti,
Et Ptolomææ littora capta Phari.
Euphratem galeis ô Rex Nilumq; bibisti,
Grandius humanis viribus ausus opus.
Atq; Syonæo tu visus in aggere primus
Vi tibi fecisti, qua via nulla, viam.
Disiunctis patriam statuisti gentibus vnam
Tu Dux Austrasiæ, tu quoq; Rex Asiæ.
Ecquid in ambages tibi pauca trophæa repono?
Nonne tibi tellus peruia tota fuit?
Victa fide teneas cælestis castra Syonis,
Ante tibi vt ferro terrea capta Syon.

Gotefridus Bononius & Bullionius Strumosi ex Ida sorore nepos Hyerosolymorum Rex duxit Sybillam Fulconis Andegauensis filiam, ex quibus Gothefridus & Ida. Deinde Floram Holofernis Regis Calabriæ filiam. Regnauit 24. annis. Obiit anno 1100. ad Caluariæ mōtem in S. Sepulchri templo iacet.

BALDOVVINVS BONO-
NIVS GOTEFRIDI IV. FRATER, BELLAX.



TEstantur Rhages, Tripolis, Reblata, Berytus
Metelites, Carræ, Cæsarea Antipatris,
Testanturq; Tyrus, Dan, Cedar, Alepa, Da-
Nomē Balduvino q̄ bene conueniat. mascus
Quàm Solymi digno dignus moderamine Regni
Heros defuncto non duce fratre minor.
Qui fuit ingenio tantus, qui tantus & armis,
Quantus ab Austrasij tempore nullus aui.

AVSTRASIAE DVX.

Fraxineas Arabum doctus vibrare Sariſſas,
  Tela, rudes haſtas, arboreasq; ſudes.
Innumera innumeras laxauit cæde pharetras,
  Impleuitq; orbem laudibus & titulis.
Huic niſi canicies virides veniſſet ad annos
  Et grauibus morbis & comitata nece,
Oblatas mundi ſolus tenuiſſet habenas,
  Hoc ſolo mundus vindice dignus erat.
Sed cœlum accepit pro terris ante relictis,
  Sancta fides Chriſto ſub duce fœnus habet.

Balduino tres vxores 1. Gertrudis Guilielmi Northmani Angliæ Regis filia. Nati, Balduinus, Gertrudis 2. Anda Chorosi Armeniæ Principis filia. Nati Gothfridus, Agnes. 3. Conſtantia Rugerij Siciliæ Regis Regnauit 19. annis. Obiit anno 1118. Iacet in S. Sepulchri fano quod eſt Chriſtianorum ad Caluariæ montem.

GVLIELMVS

IAINVILLÆ COMES, GOTEFRIDI ET BALDVVIni frater.



DVm fratres Asiæ populos,& Pontica frenāt
Produx Gulhelmus regnat in Austrasia,
Et iustus positis emendat legibus vrbes,
Proq; sacris iustè suscitat arma focis.
Atq; suos flectit prædæ & dulcedine pugnæ,
Pectora queis rabidi Martis amore tument.
Lemburgum Comitem fundit,qui regna Mosellæ
Hosti tentabat subdere Cæsareo.

Et

Et Lothoringorum multa vi protegit oras,
Ne patriæ possint mœnia tuta capi.
Baldvvino extincto tandem fuit iste receptus
Rex & Dux hæres fortibus auspicijs.
Heu cita sed Regi properarunt fata quietem,
In tanti tumulo fata beata viri.

Vxor Elisa Theobaldi Campaniæ Comitis filia. Nati Theodoricus, Henricus qui Theresiã Alphonsi Hispaniæ Regis filiam duxit, & primus Lusitaniæ Rex fuit. Gothefridus Ioanuillæ Dominus Ioannam Ioan Harcurtij Comitis filiam. Albertus qui fuit Mogũtinus Archiepiscopus, Theobaldus, Ida, Agnes, Bertha, Elisa. Regnauit 4. annis. Obijt anno 1125. Ioanuillæ sepultus.

THEODORICVS

GVLHELMI FILIVS,

VIOLENTVS.



HOrridus in iaculis & amictâ pelle leonis
Dux patrię ſplendor, ſpes requiesq; dom⁹
Cæſareas acies domuit, clerię; rebellis
Luxuriem, & dubias Marte refregit opes.
Raptandasq; dedit diris victoribus vrbes,
Et fumo cœlum, terruit igne ſolum.
Obiecit gladijs hoſtes ludibria captos,
Principibus rigidas intonuitq; minas.

M

Et noua designans sacri fundamina templi,
Addidit Austrasio fana superba solo.
Cœnobiumq; sibi fecit, ditauit & auxit,
Et Medij iussit nomen habere lacus.
Atq; notas Regis nato diadema, secures
Tandem pacis amans cœnobiarcha dedit.

Theodorici vxor Bertha Simonis Mosellaniæ Ducis filia. Nati Simon, Henricus Tullensis Episcopus, Carolus Leodij Chorepiscopus, Theobaldus Tullensis Comes, Adelina quæ nupsit Henrico Angliæ Regi, Anna Lupoldo Austriæ Duci, Mechthildis Folmaro Absburgi, & Metis Comiti. Bertha vestalium præfecta Romaricomõti. Regnauit 8. annis & cilicium induit. Obiit anno dom. 1133. Mediolaci sepultus.

SIMON
THEODORICI FILIVS, *BELLIGER.*



IN magno geſtas tā magnū pectore nomen,
Vt nomen timeat dicere Muſa tuum.
Vertice tu nudo ventos glaciemq; tuliſti,
Nec graue ſolſtitium,nec tibi triſtis hyems.
Quantum ſol cœli,tantum telluris obiſti,
Et tibi ſunt quæuis æquora pulſa rate.
Laude nites,tua fama viget,tua geſta refulgent,
Qua patet extremo terra repoſta ſitu.

AVSTRASIAE DVX.

Quod regnas,minus eſt quã quod regnare mereris,
  Non minor ingenio patribus ipſe tuis.
Idem qui proauis tibi ſunt Mauorte triumphi,
  Edomitæ teſtis miles Iapygiæ.
Teſtis Lemburgus,teſtis Treuir & Solymæus,
  Teſtis & Euphrates ſub tua iura fluens.
Inde tibi par mortis honos,tumuloq; receptus
  Inter auos cum Dis poſt tua fata manes.

Vxor fuit Gertrudis Lotharij Imperatoris ſoror. Nati Matheus, Baldvvinus,Robertus Caſtrenſis Comes,VValtherus,Symõ, Henricus, Veronica quæ VViricho Montisbeligardi Comiti nupſit,Iuditha quæ Regnaldo Burgundię Comiti,Anna Hugoni Vandalimontano,Gertrudis Amedæo Sabaudiæ Comiti.Idda Sacrarum Virginum cuſtos Treuiris. Regnauit 12.annis. Obijt anno Domini 1141.ſepultus Belloprati.

MATTHAEVS

SIMONIS FILIVS, PIVS.





QVi fuit Auſtraſiæ produx abſente parente,
Cui pietas generi notaq; parq; fuit,
Poſt patris interitum cultor venerãdus ho-
Imperia Imperijs rexit adaucta domus. (neſti
Non acies, non caſtra lubens in prælia vertit,
Dura ſed hic mouit bella negante manu.
Atq; ſuos hoſtes oppreſſit ad arma coactus,
In pugnas adigit pectora laudis amor.

AVSTRASIAE DVX.

„ Quàm pulchrum Martis non detrectare labores!
„ Et dubias fortis vincere forte vices!
Strauit humi populos, turritas perdidit vrbes,
Et patriis victor reddidit arma Deis.
Conseptam nocuo Metim defendit ab hoste,
Clarilocum struxit, Clarilocique iacet.
Sanctorum numerum sanctis altaribus auxit,
Qui tenet optati regna beata poli.

Vxor Bertha Friderici Barbarussæ Rom. Imp. filia. Nati, Simon, Fridericus, Theodoricus episcopus Mediomatricum. Philippus, Matheus, Regnaldus Castrensis Comes, Iuditha quæ nupsit Henrico VI. Salmæ & Albimontis Comiti, Alisa Odoni Duci Burgundiæ, Bertha Hermanno Badesi Marchioni Haza Vestalium prima Romarimonti. Regnauit 35. annis. Obiit anno 1176. Clariloci sepultus.

SIMON II.

MATTHÆI FILIVS, PACIFICVS.



INclytus vt ſolio Princeps conſedit auito,
Et patriæ ſtrinxit fræna regenda manu,
Læta pace lares ſtuduit ſeruare paternos,
„ Pax Cererem nutrit, iuſque piumque fouet.
Dux fidei cuſtos animo ſyncerus aperto
Magnatum fecit nil niſi conſilio.
Bitiacis ſibi cœnobium conſtruxit in oris,
Aeripedis quod habet nomina fontis equæ.

Dilectus

AVSTRASIAE DVX

Dilectas ſuperis Dux aras condidit auro
Aedibus inuitans numina ſacra nouis,
Atq; loci Genium templis naſcentibus auxit,
Et pius humanâ ceſſit in aſtra via.
Viuere debuerat, vitam niſi fata negaſſent,
„ Eſt ſed dulce bonis, dum vocat hora, mori.

Vxor Agnes Gotefridi Namurci & Lutzemburgi Comitis filia. Nati Bertholdus, Rudolphus Archiepiſcopus Moguntinus & Leodij Epiſcopus, Hugo, Agnes. Regnauit 32. ann. Obiit anno Domini 1207. Stutzebrunnæ ſepultus.

FRIDERICVS
SIMONIS FRATER,
OPVLENTVS.





DOctor nō ductor populi diadema Ratulfus
 Spreuit, Doctorū ſardonychâtus honos.
Quem pia Mænani retinebat cura peculi,
 Atque Eburonæi lauſq; decuſq; pedi:
Sed patruus patriæ ſpretas Fridericus habenas
 Infauſtis eheu! ſuſtulit auguriis.
Peltigeram aduerſo conſcripſit Marte cateruam,
 Et forti tenuit noxia tela manu.

AVSTRASIAE DVX.

Qui digitis gemmas,operoſa monilia collo
Geſtauit princeps,ferrea vincla tulit.
Ne Treuir hoc facinus iactes,fuit alea Martis
Nec tibi, victori gloria manſit equo
Vexato tandem per multa pericula venit
Grata Friderico tardipes hora nece.

Vxor prima Agnes Theobaldi Briæ Comitis filia, nati Theobaldus,Matheus,Regnaldus Caſtrenſis Comes,Iacobus, Fridericus,Matheus Tullenſis Epiſcopus,Agnes quæ nupſit Henrico Barrenſi Comiti. II. Vxor Agnes Theobaldi Barri Comitis filia. Nati Iacobus Metenſis epiſcopus, Anna quæ Alberto Hasburgi Comiti nupſit, Catherina Othoni Palatino Comiti Regnauit 6.ann. Obiit anno 1213. Sturtzebrunnæ ſepultus.

THEOBALDVS

FRIDERICI FILIVS,
PVLCHER.





PVlcher vt imbuto Theobaldꝰ vellere pallas,
Et mirâ textas induit arte togas,
Vtq; lapillifero crepitauit dextera ſceptro,
Et ſacrum preſſit ſacra corona caput,
Edixit bellum imperij cum gente mouendum,
Et legit patriæ pectora fida viros.
Belliger horrentes haſtas amentaque torſit
Atque cito petiit fata propinqua gradu.

N 2

AVSTRASIAE DVX.

Pocula nam Cæsar dedit huic prætincta veneno,
Fœdera dissimulans quæ simulata tulit.
Ah te, quid, Pulcher sub leges pacis iniquæ
Tradideras? virtus fraude dolenda perit.
Occubuit iuuenis, patrio gaudetque sepulchro,
Qui potuit vinci pixide, non gladio.

Vxor. Catherina Alberti Metis Comitis filia. Regnauit 7. annis. Obiit anno Domini 1220. Stuttzebrunnæ sepultus.

MATTHAEVS II.

THEOBALDI FRATER, MANSVETVS, ET DE Solymis dictus.



POst ducis exequias ſceptro radiauit eburno
Dux frater, patriæ gloria, cura, ſalus.
Quod potuit, genium & laudes imitatus (auorum
Præualidum Gallis attulit auxilium.
Cumque parùm captis Fridericus fideret armis,
Qui melius iubeat fidere, ductor adeſt.
Marte triumphator faſtuque manuque ſuperbus
Cæſarei ſtetit hic dux prope fulmen equi.

AVSTRASIAE REX.

Nec fluctus Adriæ timuit ſulcare carinis,
Vlteriuſque tuas viſere, Turca, domos.
Ni fera mors vitæ metam ſtatuiſſet Iopen,
Ni præerupiſſet fila reſecta ducis,
Auſtraſiis pareret adhuc Biſalta, Gelonus,
Viueret & captus ſub iuga noſtra Syrus.
Quàm fragili regum voluantur cardine cœpta,
Longius aut propius mors inaperta monet.
Extincto Cæſar Mattæo deſolatus
Oſſa ducis reuehens triſte relegit iter,
Quæ nati gemitu, patriæ, populique querelis
Et defleta iacent Cæſareis lachrymis.

Vxores I. Agnes, Othonis Bauariæ Ducis filia. Nati, Matheus, Otho, qui in cunis deſiderari cœperunt. Elizabetha II. vxor, Catherina Conradi Lutzemburgi Comitis. Nati, Fridericus, Regnaldus Amancæ Comes, Theobaldus, Catherina, quę Richardo Montiſpeligardi Comiti nupſit. Adelina Ludouico Sabaudo. III. vxor Leodomilla Mietzlai Poloniæ regis. Nati Theodoricus, Henricus, Philippus, Matheus Tullenſis epiſcopus. Agnes longo campo ſacra virgo. Regnauit 30. annis. Obiit anno 1250. Ioppæ mortuus, & Sturtzebrunnę ſepultus.

FRIDERICVS II.

CALVVS, MATTHÆI FILIVS.



DExtrâ belligeras artes tenuit Fridericus,
Puro candorem pectore, mente Deum.
Gallorum tutor, Batauorũ lethifer hostis,
Vnde tibi carus, Belle Philippe, fuit.
Gallos tentauit Lothoringo Marte tueri,
Propria non Gallis Gallica tela satis.
Præmonstrante viam Christo peruenit ad vrbes
Dux Pharias, doctus findere classe solum.

Atque

Atque Paleſtinis præcinctus tempora palmis,
Auſtraſiam petiit tutus ab hoſte domum.
Dumq; redux ceruos iaculo,curſuque fatigat,
Vincitur,inſtructis vincitur inſidiis.
Per patrios ſaltus,patriæ per deuia ſyluæ
Ducitur incertis per iuga Caluus equis.
Et cuſtodito Maxuillæ carcere princeps
Multa gemens,annis delitet ille tribus.
Cōiux quem doluit, gens quem Lothoringica luxit,
Hoc ſine commemorans aſpera cuncta duce.
Tandem amplexa virum fidiſſima Margaris vxor
Vidit, & à collo dulce pependit onus.
Metenſis rupit celſas qui præſulis arces,
Oppida,ruris opes,culmina,templa,domos.
Diſce malis edocte pedum tractare docendo,
Diſce tuas verbo paſcere, paſtor, oues.

Margaretam ſanctij Nauarræ regis filiā duxit, ex quibus Theobaldus.Fridericus, Aureliæ Epiſcopus, Ioannes Tullenſis Comes. Matheus, Philibertha quæ Roſſano Charitatiæ Comiti nupſit. Elizabetha Henrico iuſto Vandalimontis Comiti. Catherina, Agnes, Margareta, Magdalena, quæ Eberardo Vvitebergico Comiti nupſit, Regnauit 54. annis. Obiit anno Domini 1303. Nancei mortuus, & Belloprati ſepultus.

THEOBALDVS II.

FRIDERICI FILIVS,

LIBERALIS.





ALter qui geſtat faſces Fridericus auitos
 Largus auaritiam muneris arte premit.
Spernit opes,ſpernit contagia diuitis auri,
 Et fortunati nomina falſa boni.
Dux tenebris non damnat opes, non defodit antris,
 Sed donis certat Res duce digna dare:
Et Meris myſten vincit,Comitem quoq; Barri
 Euinctum retinet brachia capta virum.

AVSTRASIAE DVX.

Flandros & Gallos lapſis in rebus amicos
Reſtituit bello & pace fidele caput.
Conſpicit hunc ſua gens lauros pharetrata gerentē
Inſtituitque dapes dis Genioque ducis.
Et patriæ patri facit vltima dona, ſepulchrum,
Inſanâ temerans pectora nuda manu.

Vxor Catherina Vidonis Flandriæ Comitis. Nati Fridericus, Philippus, Theobaldus Treuirenſis Archiepiſcopus. Elizabetha, quæ Henrico Richemontis Comiti nupſit, Mechthildis Roberto, Erkelio Baroni, Catherina, Agnes. Regnauit 8. annis. Obiit anno 1311. Belloprati ſepultus.

FRIDERICVS III.

THEOBALDI FILIVS, ATHLETHES.



CRiſpula ciuili redimitus tempora quercu
 Et domus,& ſecli Dux Fridericus honos,
Penè puer teneris bellum proluſerat annis,
 Et ſteterat Circis indomitus mediis.
Qui Barri Comitem duro certamine vicit,
 Caſtraque turbauit Barroducæa manu,
Vexarat patrias temerato fœdere gentes,
 Cuncta tulit victus ſed ducis imperia.

Obſide coniugio pacem ſtabilire coactus,
Ne flagrans geminas perderet ira domos.
Rathulfo natam ſocios promiſit in annos,
Quæ Ducis appetiit dote ſuperba toros.
Et partâ populos Fridericus pace relinquens,
Sancta parentali munere buſta tulit.

Coniux Elizabetha, Alberti Auſtriaci Rom.Imp.filia. Nati Ratulfus, Fridericus, Theobaldus Treuiris Canonicus, Albertus Leodij Chorepiſcopus. Anna quæ Ludouico Comiti Palatino fuit deſponſata. Elizabetha. Blanca, & Agnes. Regnauit 19.annis. Obiit anno Domini 1329. Belloprati ſepultus.

RATVLPHVS

FRIDERICI FILIVS STRENVVS.





TEmplorũ positor, tẽplorũ ex archa repertor,
Inter honorandos quẽ locat hasta duces,
Regni certa salus & sceptri gloria Princeps
Sumpsit in armatos arma cruenta dolos.
Infrænas docuit componere legibus vrbes,
Et vetus oblitos ius reparare viros.
Galli Ratulfus partes & vota secutus
Anglorum castris intulit ense metum.

AVSTRASIAE DVX.

Dumq; malum primus commune refellere tentat,
  Obruitur numero vulneribusque cadit.
Ecquid ouas? non, Angle, tua est, sed gloria Martis,
  Qui negat in patriam tela referre ducem.
„ Fata solent casus his indulgere secundos,
  „ Ad mala quos demúm post grauiora trahunt.
Sed pulchrè petiit pulchram per vulnera mortem,
  Qui potuit reges inter & arma mori.

Vxores, Heleonora Eduardi Barrensis Comitis. II Maria, Vidonis Blesensis & Guysiensis Comitis. Nati Ratulfus, Fridericus, Rathuldus, Carolus. in pueris mortui, Maria quæ Carolo 6. Regi Galliæ desponsata. Veronica Vvilperto Montispeligardi Comiti, Laurentia, Michelotta Regnauit 18. annis. Obiit anno Domini 1346, Belloprati iacet.

IOANNES
RATVLFI FILIVS,
ADEODATVS.



VIx tres addideras ad quinos dux puer annos,
  Pręlia dum Comites tres tibi trina parant,
Totq; tuo vndãtes cõcurſant pectore curę,
  Quot rapido fluctus gurgite pontus habet.
Excipis vnus tres teneris robuſtior annis,
  Et ſolus belli ſumma pericla domas.
Te tua victorem ante pilos prudentia reddit,
  Vnde trium rabies vi ſuperata ruit.

AVSTRASIAE DVX.

Te meritis ſemper ſuſtentèt fama triumphis
Ex ceſti factis qui tua facta nouis!
Tres quæ diſpenſant mortalia fata ſorores
Stamina debuerant euolüiſſe tua,
Sub pedibus verti vidiſſes cuncta,regique
Quà geminum Phœbus conſpicit Oceanum.

Vxor Sophia,Eberardi Vvirtembergenſis Comitis. Nati, Carolus,Fridericus Guyſiæ Comes. Ioannes Couciaci Comes.Maria,Helena. Regnauit 37. annis.Obiit Pariſiis anno 1382.Nancei ſepultus.

CAROLVS II.

IOANNIS FILIVS,

AVDAX.



EXuuiis vrſæ Vogeſanæ tempora tectus,
Intentus bellis, hoſtibus hoſtis atrox
Metenſem vicit capta dominatus in vrbe,
Et Naſſavvæum ſubdidit Auſtraſiæ.
Francigenæ fudit Ludouici caſtra minacis,
Gallæ præpediens conſcia bella fugæ.
Dux rerum cauſas didicit monitore parente,
Hæc ducibus noſtris gloria prima fuit.

Atque fides potuit distinctas tangere plectro,
Et fidibus similem reddere voce sonum.
Dux solus sibi par robur minuente senecta
Nanceia extremum clausit in vrbe diem.
Quem Charis & Pallas fleuit, luxitque Sororum
Cœtus & Aonij Præses Apollo chori.

Vxorem duxit Margaretam, Roberti III. Palatini Comitis Bauariæ Ducis Rom. regis, & Elizabethæ Norimbergensis Burggrauiæ filiam. Nati, Carolus, Robertus, Fridericus in pueris mortui. Catherina quæ nupsit Iacobo Badensi Marchioni, Margareta, aut Maria Enguerrano Cōciaco Suessionum Comiti, Ysabella Renato Andegauo Siciliæ regi. Regnauit 49. annis. Obiit anno Domini 1430 Nancei in sacello quod sibi viuens fecerat in æde S. Georgij quiescit.

RENATVS ANDEGAVENSIS

CAROLI GENER,
LVDOVICI AVDIVM DVCIS
filius, Siciliæ, Neapolis, &c. Rex.



VAndalomontanum dum ſigna Andinus in hoſtē
Duceret, in pugnis irrita ſigna ſuis,
Et caderet Princeps cognato milite victus,
Et daret obſtrictas in fera vincla manus,
Dux rebus manſit coniux Iſabella tuendis,
Proq; viro capto iure vir illa fuit.
Quæ Siculas domuit peragratis Alpibus vrbes,
Parthenopen vicit, vicit Iapygiam.

Marte fatigauit tremebunda ſalumq́ue ſolumq́ue,
Pectoris ô virtus maſcula fœminei.
Atque virum precio, precibuſq́ue miniſq́; redemit,
Adiunxit regnis & tria regna ducis.
Sed quid opes? parti triplicis quid gloria ſceptri
Profuit? anguſtis hos capit vrna locis.

Renato Andegauo vxor Iſabella, Nati, Ioannes Ludouicus Muſſipontis marchio. Carolus, Renatus in puerilibus annis obierunt. Margareta Henrici VI. Angliæ regi nupſit, Yolanda Friderico Lothoringo Vandalimontano Comiti Renatus ſecundam duxit vxorem Ioannam Comitis de la Val, & Yſabellæ Britannæ filiam. Regnauit 24. annis. Obiit anno 1480. Aquis Sextiis primo ſepultus, & Andegauum relatus in æde S. Mauricij quieſcit.

IOANNES II. ANDEGAVVS
QVI ET RENATI FILIVS,
Ingeniosvs.





Fregerat æratas Iani diſcordia portas,
Legerat & vires Gallia tota ſuas,
Arma decent homines, pro terris arma
Vt Ianus terris otia reſtituat, (capeſſit
Eumenidumque truces ſibi belliger induit iras,
Maximus ingenio, maximus imperio.
Euboicas vrbes qui Tarraconas & Iberas
Depoſitum cogit triſte referre iugum.

AVSTRASIAE DVX.

Barcinonæa at fato ſuperatus in vrbe
Oppida Dux victor qui ſuperabat, obit.
In titulis properas mortes iactabat auorum,
Spe parilis ſequitur fultus honoris auos.
Ante tamen patri currentibus ordine fatis
Comprimere extincto lumina debuerat.

Vxor Maria, Caroli Borbonij filia. Natus, Nicolaus. Regnauit 18. annis. Obiit anno Domini 1470. Barcinoni ſepultus.

NICOLAVS ANDEGAVVS

JOANNIS II. FILIVS, VENVSTVS.



INgentes animos generoſo pectore verſans
 Accepit patrium Dux diadema puer.
Regales oculis qui ſparſit honoris honores,
 Et veneres labris,& genium ingenio.
Milite Metenſes iuuenis demeſſuit agros
 Molibus expugnans oppida fulmineis.
Et montana furens circum caſtella reſedit,
 Intulit obſeſſis vulnera, tela, neces.

AVSTRASIAE DVX.

Vlterius regni ſtuduit dum figere metam,
 Heu iuueni venit funeris hora duci!
Egregium ſceptro iuuenem noua ſceptra petentem
 Abſtulit atra dies,abſtulit atra dies.
Nil niſi commendata nepotibus arma reliquit,
 Spectanti ſimilis riſit & ipſe necem.

Nicolao, Anna Ludouici XII. Galliarum regis, Maria Caroli Burgundiæ ducis deſponſatæ, ſed neutram duxit. Regnauit 3. annis. Obiit anno Domini 1433. Nancei in æde S. Georgij ſepultus.

RENATVS II.

FRIDERICI LOTHORINGI, ET IOLANDAE RENATI Andegaui natæ filius, Nicolai cognatus, victor.



REgius eximia Regum de stirpe Renatus
Dilectæ natus non sibi sed patriæ,
Cõpressit celsos vrbis multo aggere muros:
Quæ de Dardanio nomen adepta Niso est.
Et veneranda dedit cultis exordia templis,
Et gentile suâ condidit vrbe sacrum.
Andinum domuit, Venetos defendit ab hoste,
Et dedit Heluetiis auxiliator opem,

Contra Burgundos duxit cataphracta Renatus
  Agmina rex volucrí conſpiciendus equo.
Turbauit cuneos,& abactis caſtra maniplis
  Rex victo victor dictus ab hoſte duce:
Multiplici nitidum clauſit teſtudine Murtham,
  Qui fluit aſſuetus pontibus amni domis.
Vallibus in patriis per iugera culta ſolutus
  Exercens latices antè ſecabat humum.
Sed modò calcantur ſubiecti fluminis vndæ,
  Vt rapidæ liceat ſpernere murmur aquæ.
Qui potuit rigidam Burgundi ſubdere mentem,
  Iuſſit adhæſurum flumina ferre iugum.
Exacti tandem formoſus puluere belli
  Præluxit patriæ celſus honore ſuæ,
Et pugnæ exuuias,clypeos & gauſapa regum
  Laurigeris Victor poſtibus ille dedit.
Temporibus niueis canebat ſparſa ſenectus,
  Et niueum eſt cœlis additus ille decus.

Renati Vxores, I. Ioanna Tancaruillæ Comitis filia,ob ſterilitatem Apoſtolica authoritate repudiata II. Philippa Adelphi Gueldriæ Ducis. Nati Antonius, Claudius Guyſiæ Dux, qui Antoniam Francíſci Borbonij Vindocini Comitis filiã duxit. Ioannes Cardinalis & Narbonæ Epiſcopus. Ludouicus Vandalimontis Comes,Neapoli ſepultus, & Ticini occiſus, capto rege Gallo. Elizabetha,Claudia,Catherina cœlibes & innuptæ. Franciſcus Lambeſci Comes,& Orgonis, Ticini cæſus capto rege. Regnauit 36. annis. Obiit anno 1508. Nancei in Franciſcanorum templo iacet.

ANTONIVS
RENATI FILIVS,
BONVS.



INſignis iaculo & criſtatæ caſſidis auro,
Diuûm delitiæ, delitiæque virûm
Dux bonus in Venetos ſumptis Antonius (armis
Conſtituit Gallis ferre rogatus opem.
Collectos rapidum vulgus deuicit agreſtes,
Sæua quibus demens fecerat arma furor.
Nanceiam iunctis firmauit mœnibus vrbem,
Et cocto præſtans aggere fecit opus.

AVSTRASIAE DVX.

Franci acies inter Germani & Cæſaris arma
Fœdere compoſito ſanxit amicitias,
Et reges Mahumetanum conuertit in hoſtem,
Vt daret Europæ pace ſequeſter opem.
Fœdere qui ſtuduit lato componere bellum,
Otia cum diuis reddita pacis habet.

Vxor Renata Gilberti Borbonij Montiſpenſerij Ducis filia. Nati Franciſcus. Anna quæ Renato Catalauno Auraniæ Principi, & Comiti Naſſavvæo, poſt eius mortem Philippo de Crouy Arſchoti Duci nupſit. Nicolaus Vandalimontis Comes: cuius tres vxores, I. Margareta Egmondani Comitis filia. Nati Maria, Catherina, Henricus, in cunis mortui. Ludouica Galliç, & Poloniæ regi nupta. II. Ioanna Philippi Nemoroſij Ducis. Nati Philippus Emanuel Mercuerij Dux, Carolus, Franciſcus Chauſſinei Marchio, Margareta. III. Caterina Claudij Aumalij Ducis. Nati Henricus, Antonius, Ludouica & Henricus. Regnauit 36. annis. Obiit anno Domini 1544. Nancei in Franciſcanorum fano ſepultus.

FRANCISCVS
ANTONII FILIVS,
Sapiens.



QVi non cessurus nisi dis sine crimine cādor,
Puraq; simplicitas, ingenuusq; pudor,
Franciscus sapiēs vixit Ioue dux minor vno,
Et maior factis orbe futurus erat:
Si quæ deducunt fatalia stamina Parcæ,
Clausissent senio tempora ducta Ducis,
Tentabat meritam meritis anteire coronam,
Moribus ætatem, nobilitate genus.

AVSTRASIAE DVX.

Vix vno fasces habuit sed dux mens anno,
Quem patriæ inuidit regia summa poli.
Assuetum fœlix vbi nunc miratur Olympum,
Atque videt teneris sydera sub pedibus.
Præuius ille manet te dux, Christina, maritus
Sera animæ vinclum dum tibi fata secent.

Vxor Christierna Christierni Dani regis filia. Nati Carolus, Renata, quæ Guilielmo Bauariæ Duci Comiti Palatino nupsit. Dorothea Erico Brunisuicensi Duci. Regnauit vno anno. Obiit anno Domini 1546. Nancei in Franciscanorum templo sepultus.

CHRISTINA

CAROLI III. MATER, ET NICOLAVS LOTHORINGVS Mercuerij Dux, Caroli Patruus.



REgia ſemidei proles Regina Sicambri,
Regali coniux, ô viduata Duce.
Regie tuq; Ducis pueri, Dux patrue, noſtri
Francopolono Dux rege beate ſocer,
Auſpiciis paribus qui flectitis orbis habenas,
Queis communis honos eſt onus hoc patriæ,
Veſtra Moſellanis iungam bona nomina faſtis,
Et ſoliis addam pægmata veſtra Ducum.

Fouiſtis Carlum patriæ ſpem gentis adultam,
Et Carli gentem, ſpemq;, decuſq; Ducis.
Fundaſtis turres, & tecta nouaſtis auita,
Tutati populos, culmina, ſacra, lares.
Vos patriæ curas, & vix tractabile pondus
Tempore difficili fas ſubiiſſe fuit.
Viuite vos æquo pariles virtutis honore,
Dum cœlum vobis annuat Omnipotens.

CAROLVS III.

FRANCISCI FILIVS,
Clemens, Pius, Fœlix.





(reges,
NE mea chara gemas priſcos Lothoringia
Extinctos doleas ne tua fulcra, Duces.
Ne magnos repetas Gotefridos, ne Theo-
Viſaque ſub Carlis Martia corda tuis: (baldos,
Carolus vnus adeſt Dux multorum inſtar auorum,
Siue domi pacem, ſeu petis arma foris.
Plebs patrios metit hoc ſub Principe libera fines,
Et ſua frugiferis meſſibus arua colit.

AVSTRASIAE DVX.

Qui noua Pontani reſerauit clauſtra Lycæi,
  Roſtraque cõnſtituit Sammihelana fori.
Qui trito Chalybem iuſſit iuueneſcere ſaxo,
  Bitorumq̃ue larem reddidit Auſtraſiis.
Nec puram tingit ciuili ſanguine dextram,
  Sed populis & Dux & pater ille præeſt.
Auſtraſiæ penes hunc ſemper tutela quieſcat!
  Orbis & hunc faciat fræna tenere Deus!
Huic,eſt qua dignus,ſit cum Dis æqua poteſtas!
  Neſtoreus viuat cum Duce prole ſenex!
Læta Ducum partu videat complexa nepotes,
  Concordes animas Claudia mater anus!
Pignoribus creſcant fœcundis pignora natis,
  Qui clarâ fortes laude ſequantur auos!

Carolus duxit Claudiam, Henrici II. Galliarum Regis filiam. Nati Henricus, Carolus, Franciſcus, Catherina, Antonia, Anna.

IN EVNDEM.

Hic Regum de ſtirpe ſatus qui viribus olim
  Turcarum ſceptris impoſuere iugum.

Errata Typographica.

Folio 130. linea 16. lege: Chriſtiana, Antonia, Catharina, & Elizabetha.





Digitized by Google